



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Dispensatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

11. Petes, quando grauis occupatio impedit solam Officij partem, quæ ratione obligabitur ad aliam partem recitandam? Respondetur ea ratione, quæ diximus paulo ante à num. 13. de infirmitatibus. *Sim. Suarez tom. 2. de lib. 4. cap. 18. à num. 12. eam Doctrinam solum tractat ad infirmitatem exculandam, tamen Castropalaus tom. 2. de lib. 4. cap. 18. à num. 4. eam extendit ad quamlibet aliam infirmitatem, & merito; par enim videtur ratio, ut ex occupacione, & merito; par enim videtur ratio, ut ex infirmitate constat, dummodo firma remaneant quæ à num. 10. dicta sunt.*

Dispensatio.

13. Dispensatio de Horis Canonicis non percurrere potest considerari, vel ut concedenda à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel à Prælati Regularium singuli separatim.

Dispensatio à Summo Pontifice.

Dispensatio etiam sine causa à Summo Pontifice concessa, valida est, ac sufficienter excusat hominem ab hominum solutione. *Sylu. Tol. Nay. & passim, apud Bon. d. 1. de Hor. Can. q. 1. p. 2. n. 5. Ratio est, quia valide Pontifex dispensare potest in iis, quæ sunt de iure positivo Ecclesiastico, quale est hoc, de quo agimus ut faceret omnino: sic videtur dispensare, quando scienter dat beneficium infanti, vel puero ignorantem, id quod intelligit pro tempore impedimenti.*

Dispensatio ab Episcopo.

14. Dispensare item valide poterit Episcopus quoad culpam (poterit etiam Vicarius generalis, tum eiusdem Episcopi, ex *Merolla tom. 3. disp. 7. c. 6. d. 27. tum Capituli, Sede vacante, sed non nisi ex speciali mandato Episcopi vel Capituli respectivè, ut habet *Merolla ibid. c. 1. d. 1. n. 33. & 34.*) dispensare, inquam, valide poterit sed cum rationabili causa in casibus occurrentibus, non verò in perpetuum: sic *Pell. tom. 1. tr. 5. c. 8. n. 124.* Ratio est, quia ex una parte, ut est communis sententia cum Castrop. alios citant, *tom. 1. tract. 3. de dispensat. disp. 6. part. 4. num. 8.* Episcopus non potest dispensare in lege superioris, nisi quando Superior eidem posse positivè concessit, & ex alia parte valet idem dispensare in eadem lege superioris, quando necessitas adest, nec commode adiuvatur Pontifex, & multò magis in casibus, qui frequenter occurrere solent; In iis enim censetur Superior potestatem Episcopis concessisse, ne in rebus frequenter occurrentibus ad Pontificem recurrere cogantur Fideles, sed ita est in casu nostro: ergo. Ita idem *ibid. p. 5. n. 5.**

15. Dixi (quoad culpam) quia quoad restituendos fructus non potest Episcopus dispensare. Ratio est, quia quoad hos, qui ex iustitia restitui à negligente Officium debent, non apparet posse adeste rationabilem causam dispensandi, & applicandi fructus alienos alteri.

Dispensatio à Prælati Regularium.

16. Denique de dispensatione pro Religiosis exemptis est distinguendum, posse nimirum nos loqui vel de subditis aliquo Ordine sacro initiatis, seu fortè Beneficiis possidentibus, vel de subditis solum obligatis ad Officium ex universali ratione professionis ad Chorum.

Si de prioribus agamus, poterit Prælati in suos eodem modo, quo potest in suos Episcopus, nisi à Superiore fuerit prohibitus, quia Prælati etiam Conventualis, ex *Soar. lib. 4. de rel. tr. 8. lib. 2. c. 13. n. 15.* (nisi is à Superiore limitetur) se habet in hisce casibus frequentibus, sicut Episcopus.

17. Si de posterioribus, facilius poterit idem dispensare: ita Bon. *disp. 1. de Hor. Can. q. 2. p. 2. n. 9.* dispensatur enim tunc in iure Religiosi, circa quod plus, quam

in iure communi Prælati Religionis autoritatis habent: sicut enim ij possunt in aliis præceptis Religionis (nisi prohibeantur) sic poterunt in hoc. Hinc colligit Bonacina *ibidem*, Prælatum posse dispensare suos subditos non initiatos sacris, ab Officio ratione studiorum, vel negotiorum.

18. Si quæras, quinam Prælati Regulares possunt in prædictis dispensare? Respondet Bonacina, Supremum, nempe Generalem. At ego pro casibus occurrentibus posse Conventualem non ambigo, quando à Superiore non limitatur: quia si potest, ut modo dixi, cum initiatis, multò magis cum cæteris. Pro longo tempore, seu semper non potest Regula certa constitui, consulat quisque Superioris sui Conventualis autoritatem præsertim verò praxim suæ Religionis, & multò magis privilegia. Quæ ratione Episcopus, vel dicti Prælati si dispensent sine causa non illicite solum verum etiam invalide dispensent, à nobis *infr. lib. 3. c. 73.* Deo aspirante tractabitur.

Existente denique dubio, an ut excuseris à recitatione, non indigeas dispensatione, eamque an petere obligeris ex *supra dictis lib. 1. c. 3. §. 7. v. Hor. Can. & v. Dispensat.* colligi potest.

CAPUT VI.

De Peccatis Religioni oppositis.

Hæc sunt Perjurium, Simonia, Adjuratio, Superstitio, (quo nomine multa includimus, ut mox patebit) Sacrilegium, Blasphemia.

De perjurio & adjuratione agam, cum de iuramento de simonia cum de contrahitibus: hic de tribus posterioribus breviter differemus. Adest & tentatio Dei, verum hanc ad vitia Spei adversa non reducimus *supra, c. 2. §. 2.*

§. I. De Superstitione.

1. **D**vplex ea est, Altera, quæ cultus Deo debitus tribuitur creaturæ; Altera, quæ eidem Deo, tribuitur cultus indebitus. Ita *Castro Pal. 3. r. 17. disp. 1. de superstitione, p. 1. aliisque ibid. cit.* Quoad priorem, quæcunque veneratio creaturæ impena, animo illam ut Deum venerandi, mortalis est, solèque distingui in quinque species; Idololatriam, Magiam, Divinationem, vanam Observantiam, & Maleficium, de quibus mox sigillatim.

2. Quoad posteriorem (quæ nomine generis vocatur absolute superstitio) si tribuas Deo indebitum cultum, hoc est, falsum, peccas mortaliter, ut si cum nunc colas per caeremonias Iudaicas, vel Mahumetanas, profitereris enim sic veras esse Sæctas illas falsas. At si tribuas indebitum cultum, hoc est, verum quidem, sed superfluum, communiter est veniale, ut si in Missa unam vel alteram orationem seu versum adderes, quæ non addit Ecclesia. Dixi (communiter) nam ad mortale posset ascendere, si intermisceretur aliquod hæmonis pactum, vel aliqua gravis irreverentia, vel aliqui sive expressus, sive tacitus contemptus Rubricarum, ut in *opus. de sacrific. Missæ, lib. 2. c. 5. §. 1.* diximus (vel similia).

3. Ex his colligit Sanchez *lib. 1. in Dec. c. 37. num. 7.* turpem sonum, vel turpia cantica profanæque admiscere inter divina Officia ad turpem finem esse mortale, quia videtur coli Deum per cultum falsum, qui scilicet Deo displicet: quod intellige præter peccatum contra castitatem ob finem inhonestum, adest peccatum superstitiois propter irreverentiam, quæ modo dicto tunc afficitur Deus Quid si non fiat ad colendum Deum, sed solum ad ipsum finem turpem? Erit etiam superstitio mortalis, quia, præter scandalum, adest Dei injuria, dum in Officio divino, ubi colitur Deus, intermiscetur materia, liter id, per quod offenditur. Quid, si non sint turpia, sed